



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**VRBIS|| HIEROSOLIMÆ|| QVEMADMODVM EA CHRISTI||  
tempore floruit, & suburbanorum eius breuis.||  
descriptio.||**

**Adrichem, Christiaan van  
Coloniae Agrippinae, 1585**

**VD16 A 298**

Loci Ad Occident. Vrbis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64394](#)

LOCI AD OCCIDENT. VRBIS.

LOCI AD OCCIDENTEM VRBIS.

230.

2. Reg. 5.c.

1. Par. 14.c.



AALPHARA-  
SIM. campus est  
in valle Raphaim.  
in quo Dauid rex  
primò Philistæos  
prostrauit, sculpti-  
liaq; eorum in ca-  
stris reperta, combusit.

231.

Iosep. 14. at.

24. & 1 bel.

12.

CASTRA HERODIS. que,  
 teste Iosepho, posuit ad occiden-  
talem urbis tractum.

232.

2. Par. 32.c.

Bre. itin. 6.b

FONS GION INFERIOR,  
qui oriebatur in fine agri fullo-  
nis. cuius aquas duxit Ezechias  
rex in Pilcinam superiorem.

233.

4. Reg. 20.d

2. Pa. 32 ag

Eccles. 48. c

Bre. itin. 6.b

FONS GION SUPERIOR,  
emanans e monte Gion. Quem  
postea Ezechias rex obturauit, &  
ferro rupē fodiens, direxit aquas  
eius

LOCI AD OCCIDENT. VRBIS.

187

ei⁹ subter ad occidentem ciuitatis Dauid, ac subterraneis canalibus eas per medium ciuitatis introduxit in Piscinam interiorem, ne in obsidione aqua populo decesset.

234.

**I**UDAS. Hic Iudas, ex Apostolo factus proditor, ex funesta sycomoro quadam, quæ adhuc visitur, laqueo se suspendit; atque suspensus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius.

Mat. 27: a.  
Act. 1. c.  
Broc. iti. 6. b  
Sal. tom. 8.  
cap. 5.

235.

**M**ONS CALVARIAE. mons petrosus & mediocriter altus erat, Hebraicè Golgotha, alias Coatha dictus: qui ciuitati inter occidentem & septentrimonem proximuserat. in quo, noxij publico iudicio dñati, extremo supplicio plectabantur. vbi quo quis tempore, sicuti circa patibula videre est, passim iacebant caluariæ, ossa, viscera, & sanies hominum suspensorum, decollatorum, vel alio mortis genere occisorum. Hic I.E.SVS

Jerem. 31. g.  
Matt. 27. d.  
Mar. 15. b.  
Luc. 23. e.  
Ioan. 19. d.  
Hier. in loc.  
Heb. lit. G.



188 LOCI AD OCCIDENT. VRBIS.

SVS CHRISTVS Saluator no-  
ster, qui non nouerat peccatum, pro  
nobis, inquit Paulus, peccatum, hoc  
est, hostia pro peccato suo factus, nu-  
dus inter duos latrones, quasi noxius  
pro salute omnium crucifixus est. Ita-  
que Caluariæ mons, cùm anteà locus  
esset infamis, Christi passione, eiusque  
sanguine usque adeò est nobilitatus  
& sanctificatus, ut nunc Angelis pari-  
terque hominibus sit colendus. Sicut  
etiam crux, quæ priùs erat ignominio-  
sa, pari ratione nunc facta est gloria

Deut. 21. d.  
Galat. 3. b:

Broc. itin. 6.  
b: c:  
Sal. to. 6 c. 5

3: Reg. 1. e.  
Ios. 7: ant 15

236.

M ONS GION. Mons saxo-  
sus, altus & oblongus est, qui  
ab occidente urbem ambiens,  
versus Portam iudiciarum  
sensim decrescit, & profunda valle ab  
urbe discernitur. In hoc monte iussu  
Dauidis Salomon à Sadoc Pontifice  
Nathan Propheta sacro oleo in Regē  
vñctus fuit. Cui mox ab omni popu-  
lo acclamatum est, VIVAT REX  
SALO-

LOCI AD OCCIDENT. VRBIS. 189

SALOMON. qui læti tibijs actu-  
bis ita cecinerunt, vt præ hominum  
clamore ac instrumentorum concen-  
tu terra simul ac aér resonaret.

237.

MONUMENTVM ANA-  
MINI Pontificis, de quo Iose-  
phus belli Iudaici libro 6:cap:13:

238.

YRI vallis Raphaim, quas Io-  
sephus Siluam fletus vocat, iu-  
xta quam cælitùs Dauid adiu-  
tus, secundò Philistæos prostra-  
uit, ac longè lateque persecutus est.

2. Reg. 5. d:  
Lira. ibidem  
1: Par: 14. d.  
Ios. 7: ant: 4

239.

EPVLCRVM DOMINI  
gloriosum. Monumentum erat  
nouum, octo pedes longum,  
quod à monte Caluariæ centum  
& octo pedibus, à monte autem Sion  
passibus mille distans Iosephus ab A-  
rimathæa nobilis senator in Horto  
Caluariæ monti propinquo in petra  
sibi exciderat. In quo ipse vnà cum  
Nicodemo, B. Maria, & pijs mulieri-  
bus

Isai. 11. c.  
Matt. 27. g.  
Mar. 15. d.  
Luc: 23. g.  
Ioan. 19. g:  
Nicep. 8. hi-  
sto. eccl. 30:  
Beda in Mar  
ci cap. 16.  
Broc. vi. 6. b  
Breiden: 12.

190 LOCI AD OCCIDENT. VRBIS.

Iul. b. bus corpus Iesu de cōsenſu Pilati à cru-  
ce depositum, myrrha & aloē conditum, sindone munda inuolutum, ho-  
norificè capite occidentem versus se-  
peluit. (vnde etiam mos nobis Chri-  
stianis inoleuit simili corporis dispo-  
sitione in locis sacris mortuos sepe-  
liendi) & ad uoluto saxo ingenti ad o-  
stium monumenti, abijt. Interim  
verò Principes fæcerdotum & Phari-  
sæi, Christi resurrectionem conan-  
tes impedire, adhibita militum custo-  
dia munierunt sepulcrum, lapidem  
quoque, qui claudebat os sepulcri, fi-  
gillo obsignauerunt, ne quid fraudis  
possit esse vel in custodibus. Sed hęc  
Iudæorum diligentia, qua conaban-  
tur resurrectro exitum concludere,  
auxit miraculum, & resurrectionis fi-  
dem confirmauit. Nam Christus ter-  
tio die rediuius, clauso & obsignato  
sepulcro resurrexit. atque ibidem  
Marię Magdalenæ ad monu-  
mentum ploranti specie  
hortulani primò  
apparuit.

SILVA

240.

SILVA, ciuitati proxima, vt col-  
ligitur ex Iosephi libro sexto Iu-  
daici belli cap. 14.

241.

TORRENS GION, siue ri-  
uus. quem Achaz rex e fonte  
Gion inferiore, per medium ter-  
ræ in Piscinam superiorem du-  
cere incepérat. quod tandem Ezechi-  
as rex perfecit.

242.

VALLIS CADAVERVM,  
quæ inter montem Caluariæ  
& mœnia Ierusalem sita est, nc-  
men inde habens, quòd ibi ca-  
dauera, ossa, & cineres eorum, qui in  
monte Caluariæ morte puniti aut cō-  
busti erant, proijciebātur. Quamobré  
& milites Christi crucifixores, post-  
quam latronum, qui cum Christo cru-  
cifixi erant, fregissent crura, ob im-mi-  
nentem vesperam & diem festum, eo-  
rum cadauera & cruces, simul & Chri-  
sti iam sepulti Crucem ac titulum

Ierem. 31. g.

Liran. ibidē.

Ioan. 19. f.

Euseb. in vi-  
ta Conſtāti-  
ni li. 3. c. 42

Hiero. to. 1.

episto. 13. ad

in

## 192 LOCI AD OCCIDENT. VRBIS.

*Paulinū &  
tom. 3 in loc.*

*Act. Apost.  
litera H.  
Ambros. 10.  
3. in Oratio  
funebri The-  
odosij Impe-  
ratoris.*

*Paulinus No-  
lanus epi 11  
ad Seuerum  
Sulpitium.*

*Russi. in Eu-  
se hist. eccl  
lib. 10. cap. 7  
& 8.*

*Socrat. 1. hi.  
ecclesiast 13  
Theodorit. 1.  
hist eccl. 18  
Sozomen. 2  
hist or. eccl. 1.*

*Nicep 8 hi-  
stor. eccl 28  
29 30 & 50*

*Bretui. Rom  
Pet: de Na-  
tal: in Cata:*

in hanc vallem præcipita ueruut. Su-  
per quæ deinde egestis ac exoneratis  
ciuitatis foribus, vallis tandem tota  
oppleta fuit. atque hac ratione trium  
phale illud crucis lignum sub magno  
fordiu aceruo trecentis ferè annis an-  
tē sepultum iacuit: Simili modo eius-  
de ciuitatis incolæ, haud secus quam  
si ad delendam omnem Christi me-  
moriā conspirassent, sepulcrum Do-  
mini vehementi iniecto aggere pror-  
sus obruerunt: Et Gentiles quoque  
nequaquam Iudæis in hoc studio in-  
feriores, in crucifixionis loco marmo-  
ream impuræ Veneris statuam ac fa-  
num, in resurrectionis autem loco, Io-  
uis idolum, in Bethleem verò ad præ-  
sepe Saluatoris, simulacrum & lucum  
Adonidis impudici Veneris amasij  
collocauerunt; ut Christiani Christū  
prædictis in locis adoraturi, ea simula-  
cra adorare viderentur.

Cæterum non est sapientia, non  
est prudentia, non est consilium con-  
tra Dominum ; qui huiusmodi tam  
Iudæorum quam Gentilium impieta-  
te passionis suæ trophæa, quæ Christia-  
ni propter varias persecutiones ægrè  
custo-

custodiere potuissent, ab impiorum manibus seruauit illæsa: tanto glorio siori honore à Christianis exaltanda, quanto maiori ignominia ab inimicis suis fuerant contempta.

Anno enim post Christum natum trecentesimo vigesimo sexto pace iam Ecclesiæ redditæ, & celebrata contra Arium à trecentis octodecim Episcopis Synodo Nicena, B. Helena Augusta, p̄ij Constantini Imperatoris pia mater fermè octogenaria, Diuina admonitione conquirendæ Dominicæ Crucis studio Hierosolymam cum exercitu profecta, eadem simulacra, lana & lucos, post annos circiter centum octoginta euertenda curauit. Ac nullum non mouens lapidem ut absconditæ Dominicæ Crucis locum cognosceret, viros de Iudæis peritissimos ut propriæ impietatis iudices exquisiuit, & accitos in Hierosolymam congregauit. Cùm ergò illi corā Imperatricē comparuissent, & de loco Dominicæ passionis rogati, eum nequaquam voluissent indicare, quæsito prætexitu quòd nullam eius rei haberent notitiam, præcepit Imperatrix eos omnes

N

nes

Sandorum  
lib. 4 ca. 117  
Broc. iti. 6. b  
Breiden. 12.  
Iul. b, & 13.  
Iul.  
Sal. 10. 7. 62.  
3. 4. 5. 67 &  
tom. 8. ca. 3.  
P. sc. d. 214  
225, 226 &  
227.

nesigne cremari. Qui sibi timentes,  
tradiderunt ei Iudam quendam, virū  
in gente sua ætate præstantem , qui  
puer à parentibus suis de his quæ Im-  
peratrix scire ab illis cupiebat, fuerat  
instructus. Tum illa cæteris dimissis  
Iudam compellans, Mors, ait, & vita  
apposita sunt tibi si non ostenderis  
mihi Crucem Christi: quodcunque  
volueris elige. Ille verò tergiuersans,  
varijs sermonibus moras neccebat. ti-  
mebat enim (id quod reuera factum  
est) per Crucis prædicationem leges  
& traditiones Iudaicas fore abolendas.  
Instat Imperatrix, vrget ut secretum  
prodat, varijsque mortis minis homi-  
nem premit. At cùm nihil, verbis pro-  
ficeret, ad rem ventum est. Nam in  
puteum aqua vacuum demittitur, &  
inedia periturus excruciatur. Cùm au-  
tem omni cibo sex diebus fuisset desti-  
tutus, die septimo extrahi petijt, & se  
Crucem Dominicā indicaturum pro-  
misit. Extractus igitur ad locum cōci-  
tūs vbi iacebat sancta Crux perexit &  
fusis ad Deū precibus, sanctæ Crucis  
lignū supplex ostendifibi postulauit.

Præ-

LOCI AD OCCIDENT. VRB. S<sup>195</sup>

Præstítit Deus precibus auditum, & locum vbi Diuina recondita iacebat passionis suæ insignia, euidenti miraculo demonstrauit. Nam subito terra commota est, & aromatum miri odoris vaporem exhalauit. Quo miraculo venerabilis Imperatrix de loci testificatione confirmata, iussit illicò in ipsum locum operam fissionis accingi. Parataque mox ciuium pariter & militari manu, breui laborem istius molitionis hausit. Nam exportatis sordibus in altum defossas tres cruces inuenit, & seorsim ab alijs ligneam illam tabulam, quæ olim Crucis Dominiæ imposta, titulum Hebraicè, Græcè, & Latinè à Pilato scriptum continebat. At verò cùm ex tribus crucibus, cuinam Christus affixus fuisset, non appareret, sapientissimus ille Macarius Hierosolymorum episcopus tali via id inuestigare aggressus est. Nobilis quædam mulier Hierosolymis morbo quodam grauissimo, eoqué planè insanabili diu afflcta fuerat: ad quam in lecto decumbentem, iamque morti proximam

N 2

Hiero-

Hierosolymorum antistes sibi Imperatoris matre ac alijs qui aderant a sumptis, venit. atque ut prius Deum præcatus esset, dedissetque inspectibus illud signum, nimirum, eam esse Domini crucem, quæ mulieri adhibita, morbo illam liberaret, adhibuit primò vnam ex tribus, & nihil proficit. adhibuit secundam, & ne sic quidem aliquid actum est. ut verò tertiam admouit, repente lecto exiliens mulier sanitati restituta est. Quo admirando spectaculo Iudas totus commotus, ex Iudeo factus est Christi confessor, & sacramento Baptismatis initiatus, à quærenda cruce Quiriacus fuit nominatus. qui postmodùm Hierosolymorum episcopus, Crucigerorum ordinem dicitur instituisse, & sub Juliano apostata, glorioso Christi martyrio coronatus esse. Interim Imperatrix inuenta Cominica Cruce, aggerem quoque, qui sacrum Comini occultabat sepulcrum, quod diu sub illo abstrusum iacuerat, asportauit. Quo facto, mox illud emersit, & in eo clausos, quibus Saluator noster cruci suffixus fuerat, repperit; ibidem quoque

quoque coronam spineam inuenisse  
videtur. Ex quo tempore cautum est,  
ne crux ad supplicium cuiquam adhi-  
beretur. & decretum, ut singulis annis  
tertia Maij huius inuentionis festum  
celebraretur.

Imperatrix voti sui facta compos-  
cupiens excolere locos, in quibus salu-  
taria nobis mysteria, incarnationis, na-  
tiuitatis, passionis, resurrectionis, atq;  
ascensionis sacramentis Dominus re-  
demptor noster impleuerat, artifices  
materiæ cuiusque generis vndique co-  
gere, templaque in sanctis illis locis su-  
præ triginta, ob magnitudinem am-  
plissima, & ob splendorem illustrissi-  
ma extruere cœpit. Inter quæ illa quæ  
in hoc loco condita est Basilica reli-  
quos totius Orbis amplitudine, atque  
pulchritudine longè excelluit. nam  
auratis corusca laquearibus, & aureis  
diues altaribus, marmoreis septuagin-  
ta tribus columnis fulcitur. & tam re-  
surrectionis, quam crucifixionis locū  
sub uno eodemque tecto comprehen-  
dit; quod in sui medio, rotundo pa-  
tet foramine apertum, sub quo, in in-  
feriori ecclesiæ parte Dominicum cō-

N 3 sistit

sistit sub dio sepulcrum, cui passionis Christi theatrum mons Caluariæ, nunc viginti octo pedes altus, chori loco adhæret; qui octodecim gradibus, quorum singuli pedem & semisem in altitudine continent, sui accessum præbet. Ex quo rursus in locum vbi Crux inuenta fuit, quadraginta octo gradibus fit descensus. His ita gestis, Imperatrix Dominicam Crucem diuisit, & partem quidem thecis argenteis inclusam pro monumento in dicta ecclesia reliquit: partem verò cum salutiferæ Crucis titulo, corona, lancea, ac clavis filio suo Constantino attulit. quæ Romæ in ecclesia S. Crucis in Ierusalem, ædificata in ædibus Sessorianis, fuerunt reposita. vbi etiam pars Crucis Domini cæ, & titulus Hebraicis, Græcis, &

*Pag. in libro Latinis literis cōscriptus (quem se plures & vidisse, & legisse testatur Xantius Pagninus, concionator Apostolicus, & bibliorum fidus interpres) item spongia, duæ spinæ è corona, & unus ex clavis hodie etiamnum seruantur. quæ in f. scri* Præter salutaris ligni partem, de qua ptura inue- iam dictum est, seruatur adhuc in ea- dem

dem Dominicis sepulcri ecclesia, lapis quidam columnę figuram exprimens cui Christus in domo Pilati cùm spinis coronaretur, insedit. Porrò inter cetera quæ in hac ecclesia notatu repe riuntur digna, illud minimè omitten dum est, quod hic omnes ex Christianis Hierosolymorum Reges sibi sepul turam elegerunt. In primis vero pri mus Hierosolymitanæ urbis Christianus rex Godefridus de Böllion cùm viuis hanc ecclesiam opimis sacerdo tijs atque Canonicis doctrina & sanctitate eximijs exornasset, qui horis di urnis ac nocturnis Diuinā ibi perage rent mysteria, illisque splendidissimas circum templum eedes extruxisset tum etiam mortuus magnifica & digna tanti Principis corpore sepultura magnoperè nobilitauit. Cui Principi, ut apud vetustū scriptorē reperi, quidam huiusmodi epicediū cecinit.

*Francorum gentis, Sion loca Sancta petetis.  
Mirificū sidus, Dux hic recubat Godefridus,  
Aegypti terror, Arabum fuga, Persidus error.  
Rex licet electus, Rex noluit intitulari,  
Nec diademari, sed sub Christo famulari.*

N 4 Huius

nuntur, blijs à se trās latis addito. in dictione Nazarenus M. Attilius Serran. dc 7 urbis ecclesiis.

Vuylhelmus Tyr. belli sa cri. lib. 9. 6. 9. & 23. & lib 11. ca. 31. & li. 12. ca.

3.

Huius erat cura sua, Sion reddere iura,  
 Catholiceq; sequi pia dogmata iurū & equi,  
 Totum scisma teri, circa se insq; foueri,  
 Et sic cum superis potuit diadema mereri.  
 Militiae speculū, populi vigor, anchora Cleri  
 Huic virtute pari frater datur associari,  
 Baldvvin insignis, gentilibus & ferus ignis.

*Salign. in e-  
pist. ad Ioā.  
Lotharin-  
gia Cardin.*

Hic Balduinus, cuius duo postre-  
 mi versus meminerunt, germano fra-  
 tri suo Godefrido in regno Hierofo-  
 lymitano successor, atq; inclytus Chri-  
 stianæ religionis progator fuit. qui  
 inter alia præclarè à se gesta Aconem  
 urbem longè munitissimam terra ma-  
 riqne oppugnans expugnauit, Sarace-  
 nos fudit, Aegyptios superauit, & Ca-  
 lipham eorum regem interemit ac  
 mortuos non alibi quām hīc sepeliri  
 voluit. Cuius monumentum perin-  
 de ut & fratri sui Regio prorsus sum-  
 ptu extrectum; atq; æterna heroum  
 de Bullion memorianon indignum  
 etiamnum cum fratribus sepulcro extat.  
 in quo sic legitur.

Rex Balduinus, Iudas alter Machabæus,  
 Spes patriæ: vigor Ecclesie, virtus viriusque.  
 Quem formidabat, cui dona tributa ferebat,

Cedar

*Cedar, Aegyptus, Dan, ac homicida Damascus.*

*Proh dolor in modico clauditur hoc tumulo.*

Pari religione sex reliqui Reges, *Vulhel. vel.*  
 qui post Balduinum Hierosolymis *sacr. lib. 13.*  
 regnauerunt, (inter quos numeratur *ca. 28: & li.*  
 Theodoricus sextus, Illustrissimus *15. ca. 27 &*  
 Hollandie comes) suam in eodem lo- *& li. 18. cap.*  
 co eligentes sepulturam, non minori *34. & li. 20*  
 cultu, quam priores illi, suæ ibidem *cap. 33: Et*  
 magnificentię signa reliquerunt. Siue *belli sacri co-*  
 ergo inventionis Dominici sepulcri *tinuat. lib. 1.*  
 primordia spectes, quando sub Au- *cap. 3.*  
 gusta Helena augusto templo est in-  
 clusum; siue posteriora eius tempora  
 cum Christianorum Regum sumptu-  
 bus ditissime est dotatum, eorumque  
 monumentis nobilitatum, semper il-  
 lud Isaiae vaticinium locum habuit:  
 In die illa radix Iesse, qui stat in sig-  
 num populorum populorum, ipsum  
 gentes deprecabuntur, *Et erit sepulcrum*  
*eius gloriosum. Quod nec nunc quidem*  
 veritate caret, cum inter barbaras illas  
 gentes Franciscini Ordinis, patres alij-  
 que Christiani nominis monachi, no  
 Latini solum, sed Græci quoque, Ar-  
 meni, Indi, aliarumque diuersissima-

N 5 rum

*Isai. 11.6:*

*Salig: to: 1:*

*cap. 1: & 2:*

*Hiero. tom  
1. epist. 17  
ad Marcel-  
lani.*

*Vide Petr.  
Canis. l. 5. c.  
20 operis de  
B. Virgine  
qui citatur.  
a D. Tilm.  
Bredenba-  
chio lib 2.  
collat. sacr.  
c. 4.*

marum nationum homines, diuersis  
licet cæremonijs, vna tamen fide vnū  
Christum in distinctis huius ecclesiæ  
locis venerentur, ac quotidianis sacri-  
ficijs adorent. Et quo nihil potuit ac-  
cidere sepulcro gloriosius, huc ex sin-  
gulis Orbis partibus omnis sexus, æta-  
tis, atque fortunæ homines confluunt  
alij ut beneficia Christi experiantur,  
pœnitudinem pro peccatis agentes, a-  
lij verò ut pro expertis beneficijs vota  
soluant, & munera largitori gratias  
agant : Omnes autem ut Christum  
magnificent, eiusque Diuinam virtu-  
tem etiam in medio inimicorum eius  
prædicent. Tali pietate ante annos cir-  
citer mille octoginta, insignis illa pec-  
atrix Maria Aegyptiaca præ occiden-  
talibus huius Ecclesiæ foribus cum la-  
crys orans, (vbi facellum in eius ho-  
norem erectum adhuc visitur) Diui-  
nam experta clementiam, à vita sua,  
quam perditè egerat, ad pœnitentiam  
conuersa; ultra Iordanem in desertū  
secessit, & corpus suum varijs exerci-  
tijs sibi in seruitutem redicens, omni-  
bus sanctissimæ vitæ exemplo fuit.  
Postremò, quod vel maximè ad Do-  
mini-

minici sepulcri gloriam facit, glorio-  
sum id sit oportet, cū hinc gloriā suā  
quærant qui nobiles haberi volunt.  
Antiqua enim consuetudine à maio-  
ribus nostris receptum est, vt ex Chri-  
stianis (qui sacra illa loca inuisunt) le-  
gittimi thori, orthodoxæque fidei, &  
boni nominis nobiliores quique iu-  
xta hoc sepulcrum solemni quodam  
ritu magis nobilitentur, & in eque-  
stris ordinis milites, quos auratos vo-  
care solent, inaugurentur.

Cūm ergo præclara hęc Dominicę  
passionis insignia tot fuerint operata  
annis, & ne gentibus quidem in ædifi-  
catione fani ad ipsam fabricam terram  
egerentibus, reueleta, nónne Diuino  
confilio latuerunt, vt tunc inueniren-  
tur cùm religiosè quærerentur?

## 243.

VALLIS FONTIS GION  
de qua in libris Paralipomenon  
& in Iosepho legitur.

z. Par. 33.c  
Iof. 6. bel. 13

## 244

V ALLIS Raphaim id est, gigātū. Val-  
lis est ad vrbis occidētē amplissima

Iofue. 13. b.  
& 18.c.  
2. Reg. 5.c d  
& po 23.b.

204 LOCI AD OCCIDENT. VRBIS

*i. Par n: c:*

*i. 4. b. d:*

*i. Mai. 17. b:*

*Hier. ibidē.*

*¶ de loc He*

*br. li. E & R*

*Ios. 7 ant. 4*

*Broc itin. 7.*

*Breid. ibidē*

& potentissima, quæ à septentrione incipiens, & versus austrum longè latè quæ se extendens, optimi tritici, vini, olei, ac frugum omnium olim fuit feracissima. In qua Dauid Philistæos ingenti exercitu ipsum bis inuadentes, Deo adiuuante bis fudit ac fugauit.

245.

*Act. 8. e.*

*Broc. itin. 6. b*

*Sal. to. 8. c. 5*

*Ios. 8. ant. 7.*

VIAE in Bethleem, Emauntem, Gazam, & Ioppen. quas Salomon, sicut & ceteras vias regias, quæ Hierosolymam ducebant, filice stravit: tūm ut vltro citroque commicantibus essent faciles; tūm ad ostendandam hac quoque parte Principatus sui magnificentiam.

246.

VIA in Silo, & Gabaon, de qua Brocardus itin 6. b:

247.

*Pasc. d. 210.*

HIC Christus, secundum maiorū traditionem, rursus sub cruce corruit.

HIC

## 248.

**H**ic Iesus ad mulieres lamentantes conuersus, Filię, inquit, Ierusalem, nolite flere super me, sed super vosipſas flete, & super filios vestros, quoniam ecce venient dies, & cæter. Vbi poste à extructa fuit ecclesia: cuius nunc ne quidē vestigia apparent.

*Luc. 23. d.  
Breiden. 14  
Jul. a.  
Sal. 10. 8. c. 7  
Pasc. d. 211.*

## 249.

**H**ic Christum vltimò sub cruce cecidisse antiquorum, traditio est. qui locus etiamnum lapide crucis figura insignito, signatus, à peregrinis mira deuotione exosculatur.

*Breiden. 13.  
Jul.  
Pasc. d. 181  
& 212.*

## 250.

**H**ic Christo vestimenta, quæ iā saucio eius corpori & concreto sanguini inhærebant, non sine vulnerum renouatione (quæ maiorem quam prima vulneratio

*Psal. 38: a.  
& 68. f.  
Isat. 63. a.  
Mat. 27: d.  
Mar. 15. b.*

## 206 LOCI AD OCCIDENT. VRBIS

*Breiden. 12.* tio solet inferre dolorem ) extracta  
*Iul. b.* sunt. Atque ibidem, donec quæ ad e-  
*Pasc. d. 213.* rigendam crucem erant necessaria pa-  
 rarentur, nudus crudis vulneribus vē-  
 to & frigori expositus, super lapidem  
 (vt tradunt) sedens, vino myrrato  
 felle mixto potatus est.

## 251.

*Psal. 21.c.* **H**ic Christus supinus in crucem  
*Zach. 13. c.* stratus & expansus est, eiusque  
*Ioan. 20.f* manus & pedes ferreis clavis  
*Sal. 10.7 c 4* perforati, ac cruci adfixi: tene-  
*Pasc. d. 214.* raq; ipsius membra ea vi in cruce ex-  
 tensa, vt luxarentur artus eius, & di-  
 numerarentur omnia ossa eius.

## 252.

*Mat. 27. e.* **H**ic locus ille est totius Orbis  
*Mar. 15. c.* terrarum sacratissimus, atque  
*Luc. 23.e.* æterna memoria dignus. vbi  
*Ioan. 19. f.* cunctis spectantibus Crux af-  
 fixum sustinens Christum, cum inge-  
 ti omnium membrorum viscerumq;  
 eius concussione ac dolore, ipso mer-  
 die festi Paschæ in foramen rupis Cal-  
 uariæ posita est. In cuius suprema par-  
 te lignea alba tabula affixa fuit, quæ ti-  
 tulum

tulum, mortis eius causam exprimentem manu Pilati exaratum, huiusmodi Hebraicis, Græcis, & Latinis verbis & literis continebat.

ישׁוֹטֵן כָּנָרִי מֶלֶךְ הַיְהוּנִים  
Ihesous ὁ Ναζωραῖος ὁ βασιλεὺς  
τῶν Ιουδαίων.

## I E S V S N A Z A R E N V S R E X I V D A E O R V M .

Ea autem positione Crux Iudæorum studio fuit erecta, ut Christus dorsum suum contra Ierusalem haberet, faciem autem versus occidentem. Indignum enim eum reputabat quem sanctæ vrbis aspectu dignarentur. Neque verò hoc fortuitò factum esse, aut mysterio vacare putandum est. quin potius singulari Dei dispensatione suæ ipsius misericordiæ, ac nostræ felicitatis hac ratione non falsi videntur fuisse prophetæ. eoqué facto prænunciasse, quod fore Ieremias prædicterat: Sicut vetus vrens dispergam eos coram inimico: *dorsum, & non faciem ostendam eis* in die perditionis eorum.

Hierony. in  
Marcia. 15

Sedulius l. 4

Io. Damascenus lib. 4.

Orthodoxa fidei cap. 13.

Beda in Luc cap. 23.

Bre. 12. Iu. b

Sal. 10. 7. c 5

Pasc. d. 222

P. Monianus in Passion. Domini.

Io. Molanus de pictur.

Ierem. 18. c.

Nam

Hiero. in Ie-  
remi. cap. 18

Psal. 58. b: c.  
Isaia. 10. e.  
Rom. 9. f. &  
11. c.

Psal. 65. b.

Nam cùm in toto Orbe coram inimi-  
co diabolo sint dispersi, ait Hierony-  
mus, & diebus ac noctibus in Sinagô-  
gis Satanæ inuocent nomé Dei, dorsū  
& non faciē suam ostendit eis Deus, vt  
intelligant eum semper recedentem,  
& nunquam ad se venientem. idque  
in die perditionis eorum, hoc est, om-  
ni tempore post passionem Saluatoris  
vsque ad finem sæculi. vt postquam  
sub in trauerit plenitudo gentium, tū  
reliqui populi Isræl conuertantur, &  
salui fiant. Nostræ verò fælicitatis sua  
immanitate existimo fuisse prænun-  
cios. quòd piissima Christi ad occasu  
exporrecta facies non aliud mihi de-  
notasse videatur, quam quod multo  
antè tempore Regius Propheta fue-  
rat vaticinatus, cùm diceret: *Oculi eius  
super gentes respiciunt.* Super nos enim  
misericordiæ suæ oculos à passionis  
suæ tempore apertos & fixos habens,  
vsque in Mundi finem benigna nos fa-  
cie adspicere non desinet. Quapropter  
etiam meritò nos Christiani, vt hu-  
ius rei non immemores nos esse often-  
damus, ferè ad orientem versi oramus  
& cum beatissima virgine Maria, &  
SSS. Apo-

SSS. Apostolis facie ad orientem conuersi, Christum mori, ascendere, & iudicatum descendere, ac denique paradisum reddere contemplamur.

Hoc igitur situ Dei filius in cruce suffixus, tribus horis nudus, sauciis cruentus, & spinis tempora redimitus, in grauissimis tormentis medius inter duos latrones peperdit, velut socius criminis, qui socius erat supplicij, quod futurum praedixerat Isaías, cum ait: Et cum sceleratis reputatus est. Quem interim in tantis malis prætereuntes Iudæi, Principes sacerdotū vñā cum scribis & senioribus populi, nec non milites, atque ipsi etiam vtrinque suspensi latrones, pro consolatione, qua omni afflito debetur, indignis modis deriserunt, ac velut exprobantes iam victo, ludibrijs causa mortis capitibus dicebant: Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus illud reædificas: saluat emet ipsum, si filius Dei es, descende de cruce. Alios saluos fecit, seipsum nō potest saluum facere, Si Christus Rex Israel est descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo: liberet nūc, eū si vult. dixit enim, Quia filius Dei sum. & multa alia. Iesus

O

autem

Gregor. Nazian. in Tragœ. Christus Patiens.

Thren. 1: d.

Isai. 53. d.

Mar. 15. c.

Luc. 22. d.

obsequium , cùm acceptam spon-  
giam aceto impleuisset , imposuit  
arundini, dabatque ei vt biberet. ve-  
hementer sitiebat Iesus hominum sa-  
lutem, sed Iudæi præter fel & acetum  
nihil offerunt. Simulatque verò ace-  
tum Iesus gustasse, tñdixit : *Consumma-  
tum est.* significans iuxta patris sui vo-  
luntatem ritè sacrificium peractum  
esse. Ac mox iterum voce magna cla-  
mans, profusis lacrymis *Pater ait, in  
manus tuas commendō spiritum meum.*  
& inclinato capite vir florenti ætate  
expirauit , hora nona diei vigesimi  
quinti mensis Martij, annos à nativita-  
te emensus triginta tres, & menses tres,  
incarnationis autem suæ anno trigesi-  
mo quarto iam præcisè completo.

Psal. 68.c.

6

Hebr. 5.c.

7

Rom. 5,b:

Hebr. 5.b.c.

9.c:d:g

1.Pet. 1.c3 c

1.Ioan. 1: d.

Apocal 1.b.

Tali sacrificio summus atque æ-  
ternus ille Pontifex charitate, qua ma-  
ior nulla esse poterat, ardens, pro hu-  
mani generis redemptione semetip-  
sum in holocaustum & hostiam paci-  
ficam Deo Patri obtulit; suaque mor-  
te mortem destruxit. Satam vicit

O 2 in-

210 LOCI AD OCCIDEN. VRBIS.

autem hæc omnia longè ipsa cruce acerbiora ferens patientissimè, adeò ea vltus non est, vt pro ipsis etiam insulstantibus deprecatus sit, dicens: *Pater, dimitte illis. non enim sciunt quid faciunt.*

2 & alteri è latronibus misericordiam poscenti paradisum promittens dixerit: *Amen dico tibi, Hodie tecum eris in Paradiſo.* Tum verò dilectā matrem suā, dilectumque discipulum intuens, virginemq; virgini commendans, dixit matri suæ: *Mulier, ecce filius tuus.*

3 Deinde discipulo: *Ecce mater tua.* qui ex illa hora accepit eam in sua. Dum hæc ita geruntur Sol, quæ fabricator Mundi in cruce patiebatur supplicia non sustinens, quasi lugens faciem suam obduxit, & ab hora sexta, cùm maximè feruere solet, vniuersam terram usque ad horam nouam caligine obtexit.

4 Tunc Iesus à Patre se derelictum cōquerens, magna voce clamauit, dicēs: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Hoc peracto, quò omnia que

5 per Prophetas de ipso scripta erant, implerentur, dixit, *Sitio.* Cōtinuò accurrens quidam, vt ipsi videretur deferre ob-

212 LOCI AD OCCIDENT. VRBIS.

*Io. Mandevyl.*

*Pasc. d. 222.*

*Psal. 73. c.*

*Pasc. d. 223.*

*c. 224.*

*Zach. 13. a.*

*Isai. 12. a.*

*Zach. 12. c.*

infernum confregit, vitam reparauit,  
ac credentibus cælum regnumque æ-  
ternum aperuit. Quapropter & à ma-  
ioribus nostris in circumferentia fora  
minis, cui Crux Christi infixa fuit, hęc  
Psalmographi verba Græcis literis o-  
lim quidem argento, nunc autem cu-  
pro insculpta sunt.

Ἄδε ο Θεός βασιλεὺς ἡμῶν τερπὸν αὐτὸν εἰρδά  
μάσατο σωτηρίαν τὸν μέσω τῆς γῆς. hoc est,  
Hic Deus Rex noster antè secula, operatus est  
salutem in medio terræ.

Qua quidem vnica tam cruenta  
oblatiōe legitimè facta, noluit statim  
à morte à cruce deponi, sed ut viuus,  
sic quoque vita defunctus tribus ex  
cruce horis omnibus spectaculo sus-  
pensus, sicut vniuersa membra crucia-  
tibus exposuerat, ita nobis omnē san-  
guinem ad nouissimam cordis usque  
guttam effundere, & fontem in ablui-  
tionem peccatorum, de quo in gau-  
dio haūrire possemus, aperire voluit.  
Vnus ergo militum lancea latus &  
core ius perfodiens atq; aperiens, pro-  
tinus ex vulnere sanguis & aqua tan-  
quā vberrimus fons profluxit. ex quo  
sicuti ex cæteris quatuor vulnerum  
riuis,

riuis, omnibus sacramentis sua sanctificandi virtus, & Ecclesiæ sua salus emanat. Interea verò omnia testata sunt Domini sui mortem. Velum templi in duas partes scissum est, terra concussa est, monumēta aperta sunt, mortui surrexerunt, & petræ, Iudæis cordis exprobrantes duritiem, ruptæ disflierunt. Cuius rei etiam hoc præclarum in petroso Caluariæ monte adhuc extat argumentum; ibi enim conspici etiamnū potest illa, quæ sub manu Christi læua, & à sinistris pendentis latronis cruce, in morte Domini facta est scissura, in qua Domnici sanguinis colorem adhuc deprehendere licet. Scribit Eusebius quod Lucianus Antiochenus presbyter, vir moribus, continentia & eruditione præci-  
pius, ad tribunal iudicis adductus, coram Præside & populo insigni oratione Christianæ religionis rationem reddens, inter alia fidei, qua adducebat testimonia, etiam hanc scissuram testem adhibuerit, dicens: Adstipulatur his ipse in Hierosolymis locus, & Golgothana rupes sub patibuli onere disrupta. Hæc Lucianus. Cuius

Euseb. histo.  
eccl. lib. 9. c.

6.

Bro. iti 6. b.

Breiden. 12.

ul. b.

Sal. 107. c. 4

Pasc. d. 214.

& 22.

214 LOCI AD OCCIDENT. VRBIS.

quidem scissuræ ea est latitudo, quod  
humani corporis crassitiem facile capere possit. Profunditas vero tanta,  
quod ab huius rei curiosis dimissa bo-  
lide nequaquam potuerit inuestigari.  
vt verisimile sit, in infernum usq. pa-  
ttere. & quemadmodum latroni dex-  
tero via per Christi mortem in cælum  
referata est: ita per petræ huius scissu-  
ram latroni sinistro (vt olim rebellii  
Core) viam in infernum apertam esse.  
*Luc. 23. f.*  
*Num. 16. e.*  
*Hierony. in*  
*Marc. 15.*  
Ex quo patet quam verum sit, quod  
de ipsis ait Hieronymus: Christus, in-  
quiens, vnum reliquit sinistrum, alte-  
rum assumit dexterum, sicut in die iu-  
dicij faciet. ex simili criminis, dissimi-  
les sortiuntur fines. alter antecedit Pe-  
trum in paradisum: alter Iudam in in-  
fernum. Confessio breuis, vitam ac-  
quisiuit longam: & blasphemia finita,  
plena plectitur æterna hucusque Hie-  
ronymus.

253.

*Ioan. 19. e.*  
*Luc. 2. e.*

**H**ic B. Maria, cum Ioanne, Ma-  
gdalena, & alijs mulieribus, fir-  
ma, mentis fideique constantia stetit,  
quin-

LOCI AD OCCIDENT. VRBIS. 215

quindecim vlnis, quæ nunc octode-  
cim gradibus metiuntur, à Cruce Do-  
mini separata. vbi iuxta Simeonis va-  
ticinium animam eius doloris gladi-  
us transiuit; & corporis doores, quo-  
rum in partu & morte fuit expers, ani-  
mi doloribus duplicauit. Ibidem ver-  
bis Christi Ioanni est commendata: &  
Ioannes in Mariæ filium adoptatus.  
qui locus (vt cæteri) pia adhuc venera-  
tione à fidelibus decoratur.

Breiden. 12.

Iul. b.

Sal. to. 7 c. 5

Pasc. d. 225

Beth. fer. 6.

254.

Hic milites Christi crucifixores  
partiti sunt inter se vestimenta  
Christi: & pro tunica eius, quæ sic erat  
contexta vt dissui non posset (que Au-  
gustæ Treuirorum etiamnum religio-  
sè seruatur) sortiti sunt: vt perficere-  
tur quod dixerat prophetia. Diuise-  
runt sibi vestimenta mea. & cæter.

Ioan. 19. d.

Breiden. 12

Iul. b.

Sal. to. 7 c. 5

Pasc. d. 214

Psalm. 21. c.

255.

Hoc loco, tredecim à cruce Do-  
minigressibus distante, exanime  
Christi corpus à cruce depositū, mox-  
que sepultus irradēdum, in sinum B.  
Mariae collocatum esse, maiorum tra-  
ditione accepimus.

Breiden. 12.

Iul. b.

Pasc. d. 225

Bethl. sabb.

Hic

## 256.

*Mat. 28. b.**Breiden. 12.**Iul. a:**Pasc. d. 181.**Breui. Rom.**in hymn. Tri-**stes erant A-**postoli.**Marc. 16. c.**Luc. 24. b.*

**H**ic Christus mulieribus ab eius sepulcro Hierosolymam regredientibus occurrit, easque salutauit: quæ amplex se & osculatæ pedes eius, adorauerunt eum.

## 257.

**H**ac Christus, peregrini forma cum duobus discipulis Emauntem iuit: eisque inter eundum Moysi & omnium Prophetarum scripturas in se impletas, interpretatus est.

LOCI AD SEPTEN-  
TRIONEM VRBIS.

## 258.

*4. Reg. 25. a**Iere. 1. c. 39.**a. 52. a.*

ASTRA CHALDAE ORVM.  
ab hac aquilonari  
vrbis parte Nabu-  
chodonosor rex  
Babylonis & Chal-  
dæi Hierosolymā  
oppugnauerunt & expugnauerunt.

CAS.